

Aeneas Cardinalis Senensis Joanni  
Cardinali sancti Angeli, S. P. D.

Hortatur legatum quam celerrime nuptias  
as Regis adire.

Cognosces ex literis sanctissimi domini nostri  
quam necessaria sit presentia tua innuptiis,  
quas serenissimus Rex Hungariae celebratur est  
in Praga. Ob quam rem quamvis non pulo ne-  
cessarium dignationem tuam adhortari, ut quam celer-  
rime eo se conferat, quia tamen eius rei utilitatem  
non solum animo percipio, sed manibus quodam-  
modo, ut ita loquar, palpate videor, non possum  
facere quin tanquam servitor et filius tuus ea  
scribam, quae honorem tuum concernere animad-  
verto. Sane quamvis pietas domini nostri id iu-  
dicium de tua dignatione faciet, quod de viro pru-  
dentissimo et optimo habendum est, quamvisque  
omnia quae per te facta sunt mira modo com-  
mendet. Illud tamen plurimum admiratur quod  
dissidentibus inter se serenissimis principibus Ro-  
manorum Imperatore et Hungariae Rege non sta-  
tim te ad se dandas eorum discordias, sepositis  
aliis negotiis, preparavisti, cum certum sit illis  
inter se contendentibus, non solum nobilem il-  
lam Austriae provinciam conturbari, sed etiam  
Turcis viam praebere qua facilius ad Christiani-  
tatis invasionem prorumpere possint. Videtur  
igitur mihi admodum expediens quod tua  
dignitas ad praefatas nuptias intersuum acce-  
leret, quae ut estimatur mense ianuario, aut  
tardius februario celebrabuntur. Erit conventus  
ille celeberrimus, in quo duo Reges et tot prin-  
cipes

ipes comparebunt. Non dubito quin magna tibi tra-  
ctentur, et ut arbitror, quin principaliter agitabun-  
tur in eoloco ea negotia: namq[ue] cum lites Impera-  
toris et Regis nondum composite sint, erit cura  
illorum principum in primis illas sedare. Inter  
Polonia Regem et fratres sancte Marie Theutho-  
corum agetur de concordia. Bohemi de suis ar-  
ticulis curiosi erunt. Illi qui sunt in Rheno et  
res novas contra sedem apostolicam praticare  
nituntur, non omitterent per oratores suos ex con-  
ventu aliquid attentare, postremo etiam de defen-  
sione fidei contra Thureos, ut mea fert opinio,  
inter tantos proceres sermo fiet. Magna sunt  
hec et profecto tuam presentiam merito exigunt.  
Itaq[ue] tanquam servitor tuus suades ne quo pacto  
ei congregationi absis: quod esset et in honestum  
et incommodum apostolice sedi: quod si interfueris  
complacebis proculdubio non solum Regi Ungariae,  
sed etiam Regi Francie cuius filie nuptias hono-  
rabis, obviabis malis que per nunnulos procuran-  
tur: Et multa bona opera procurare poteris tam  
pro pace Christianorum quam pro defensione  
fidei contra inimicos crucis Christi: Primumque  
sanctissimi domini nostri desiderium hoc potis-  
simum modo adimplebis, et rem facies tua vir-  
tute dignam, duabusque maximis nationibus  
Gallie et Germanie simulque duobus maximis  
principibus, hoc est Imperatori et patruelis sui,  
et Regi Francie in filie sue honoratione rem  
gratam faciens demulcebis capita. Datum Rome  
die prima octobris, anno Domini, millesimo  
quadringentesimo quinquagesimo septimo.